

EZELINVS DIACONVS BASILIENSIS.



Ezelinus honestis parentibus prognatus à teneris annis sacris literis operam dedit, & in uirum sui temporis doctissimum euasit. Itaq; Rodolphus 3. Episcopus Basiliensis eum diaconum ordinauit, atq; populum suæ fidei commissum ob insignem eruditionem uerbo Dei instruere iussit. Id quod etiam Ezelinus bona fide præstítit. Itaq; factum ut Ecclesiæ cathedralis præpositus eligetur. Cum autem magnas opes à parētibus accepisset, ex ijs S. Leonhardi parrochialem Ecclesiam in urbe Basilea fundauit, atq; Episcopi & aliorum hominum opera adiutus à fundamentis extruxit, anno Christi 1002. Ea structura cùm sequentibus temporibus anno 1356. terræmotu labefactata fuisset, per præpositum & canonicos eius collegij iterū restaurata fuit. Cum hoc modo magna gloria Ezelinus inter doctos uixisset, moriēs tale epitaphium est meritus in cathedrali Ecclesia, quod lapidi sepulchrali antiquis literis incisum etiamnum legitur:

Hic iacet ore Plato, Cato uita, Tullius ore:
Corpus alit uermes, spiritus astra colit.